



Vetus Testamentum

In lege & opibz  
Est conditionale  
Est suorum pti  
Dicit Si feceris  
Est debitum  
Est opus hois

Novus Testamentum

In pmissione græ  
Est absolutum  
Est filiorum liberorum  
Dicit ego faciam  
Est donum  
Est opus deq




Cypriangeli 2 Spi 3

Septuagesima die + dies in 188 3 sumung  
Sacerdos dei p[er] 1 + Sacerdos 188 p[er]  
abulit + hoc p[er] in p[er] commemorat[ur] p[er] p[er]  
Idem. Passio d[omi]ni 3 sacerdos q[ui]d offerung  
nihil aliud, quod ille ficit, ficitur debung  
Scriptura em d[omi]ni Quercusq[ue] comedere p[er]  
ist[um] + calice ist[um] debung, morte d[omi]ni  
amustabile p[er] adess[et] vana Quercusq[ue]  
go calice in quercusq[ue] d[omi]ni + passio offerung  
d[omi]ni, q[ui]d ist[um] d[omi]ni ficit, facung

Ambros

Tris X[risti] p[er]m[ittit] ablata 3 hostia ad salute  
poteng, Quid go nos p[er] singlos d[omi]ni  
offerung. Ut sic quotidie offerung  
ad recordat[ur] q[ui] morte fit, vna 3 hostia  
no multu





...ico de laudabum  
L B.  
...m iustm



# EPISTOLA

IOANNIS BVGEN. POME  
RANI AD ANGLOS.

ANNO M. D. XXV.

IOANNES BVGENHAGIVS

Pomeranus pastor ecclesiae Vuit-  
tembergen. Sanctis in Chri-  
sto qui sunt in Anglia.

**C**Ratia uobis & pax à deo patre no-  
stro & domino nostro Iesu Chri-  
sto. Non potuimus non gaudere quan-  
do audiuimus & in Anglia Euangeliū  
gloriae dei apud quosdam bene audire.  
Cæterum & illud nobis nunciatum est,  
multos infirmiores adhuc auerti, prop-  
ter rumores nescio quos, qui isthic ferū-  
tur ab illis qui Euangelio dei aduersant  
de nobis. Hæc est gloria nostra, tātum  
abest ut mendacia in Euangelij profes-  
sores iactata refellenda duxerim, alio-  
qui in quo uideretur illa beatitudo. Bea-  
ti estis cū maledixerint uobis? Neq̄ ta-  
men defendimus si qui alibi prætextu  
Christianæ libertatis quid designēt nō  
Christianum, quandoquidem non oēs  
Christum induerunt qui Christi nomē  
sibi uendicant.

Hoc uero miramur cur sacrū Chris-  
ti Euangelium quidam isthic uerentur

suscipere propterea quod de nobis mala dicuntur, ignorantes quod oportet filium hominis reprobari à mūdo & stulticiā haberi prædicationē crucis. Quid si uerum esset quod de nobis mentiuntur propter Christum: ipsi scilicet ideo non susciperent oblatum à deo Euangeliū salutis? Quid stultius quàm ut magis curiosus sis ad meam iniquitatem quàm ad tuā salutem? Ideo ne tu nolis esse Christianus quia ego sum peccator? cur non sequuntur Pauli regulam, Omnia probate, quod bonū est tenete? Si in hoīm uel iusticiā uel iniusticiā respicere cœpero, qñ queso liberabor ab errore, quo ferè perijt mūdus, & agnoscat tandē dei iusticiā. Verū aiūt rudiores, quis ista tā uaria cape poterit? disputat eī de libero arbitrio, de uotis & sectis monasticis, de satisfactiōibz, de abusu uenerādæ eucharistiæ, de cultu sanctorū defunctorū, &c.

Alij aiūt. Veremur ne sub ista uarietate lateat uenenum. Quasi uero nos agamus persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis, & nō manifestissimis scripturis

quibus ne portæ quidem inferorum hæc  
tenus præualere potuerunt: aut quasi  
aduersarij nostri aliud contra nos pro-  
ducant quã statuta & traditiones huma-  
nas, quas damnat deus Esa. 29. & Chri-  
stus Matthæi 15.

Quod ergo uenenum hic timebis, dū  
in occulto agimus nihil, & oīa nostra to-  
ti mundo iudicanda proponimus? Et ne  
uarietatem doctrinæ excuses breuiter  
dico, unū tantum articulum à nobis do-  
ceri, ut cunq; quotidie multa prædica-  
mus, multa scribamus, multa agamus,  
contra aduersarios ut & ipsi salui fiant.

Est autem articulus ille.

CHRISTVS EST IUSTICIA  
NOSTRA.

*Christus*  
*Sapientia*  
*Iustitia*  
*Satisfactio*  
*Redemptio*  
Nam is factus est nobis à deo sapiē-  
tia, iusticia, satisfactio, redemptio. Quis  
quishoc non dederit nobis, nō est Chri-  
stianus, quisquis autem fatebitur nobis  
cum, apud eū statim cadet alia quæcun-  
que iusticia humana. Nihil hic erit Pela-  
giana hæresis, qua licet mutatis uerbis,  
infecti sunt qui uel solos se Christianos



gloriantur, nihil ualebit omnis sectarū  
quæ hodie sunt & operum fiducia, quā  
abnegato crucis Christi scandalo nostrū  
iusticiarij nobis inuexerunt, dum opera  
pro Christo nobis uenditarunt, Contra  
quos & contra totum satanæ regnum  
hoc argumentū fortissimū cum Paulo  
producimus. Si ex operibus & nostro  
arbitrio iustificamur, ergo gratis Chris-  
tus mortuus est.

Iusticia hæc quæ Christus est testi-  
monium habet in lege & prophetis.  
Rhom. 3. Qui autem suam iusticiam se-  
quuntur ad ueram iusticiam, ut Iudæi,  
non perueniunt Rho. 9. Iusticiæ enim  
dei subijci non possunt Rho. 10. Hæc iu-  
sticia dei tua est dum per fidem suscipis  
Christum, non enim pro se mortuus ē,  
aut pro suis delictis, sed pro te & tuis  
delictis. Igitur quicquid aliud tenta-  
ueris ad iusticiā, id est, unde iustificeris,  
& liber sis à dei iudicio, peccatis, morte  
& inferis, hypocrisis erit mendaciū &  
impietas, quacunque sanctitatis specie  
fulgeat, pugnabit enim contra dei gra-

tiam, & Christi erit abnegatio.

*Quid apud  
nos de  
Sacramentis*

At forte interrogabis quid de moribus, cultu dei, sacramentis & huiusmodi sentiamus & doceamus. Respondeo Christus qui factus est iusticia nostra factus est & doctor noster. Quicquid is suo ore nobis pdidit hoc docemus seruadū quemadmodum & præcepit Matth. ul.

Primū autem docuit hoc esse opus dei ut credamus in eum quem pater nobis misit, Quisquis autem in eū crediderit arbor bona est, & non poterit suo tempore non ferre fructum bonū, non quē fructum hypocrisis fingit sed quem spiritus Christi illic sua sponte producit.

Qui enim spiritu Christi aguntur hi filij dei sunt. Sobrie itaque pie & iuste uiuet, adorabit deum in spiritu & ueritate non in elementis mundi, cibis & uestitu, aut alia hypocrisi, sentiet de sacramentis quod Christus docuit & instituit, seruiet proximo doctrina, consilio, oratione, rebus, etiam cum dispendio uitæ, nec solum amico sed etiam inimico. Hæc docuit Christus, ad hæc trahit na

tura spiritus corda credentium, & nos  
hæc omnia docemus faciēda, & quia in  
carne adhuc sumus quicquid ex his nō  
fit aut non satis fit & quicquid adhuc  
peccatur, docemus cum Christo, ut iugi-  
ter oretur delicti uenia, quemadmodū  
orare præcepit. Dimitte nobis debita  
&c. & propter istam fiduciam in deum  
non imputari peccatum quod est in car-  
ne reliquū. Nō enī inuenio ī me, id est, ī  
carne mea bonū, sed gratia deo, q̄ Chri-  
stus uenit nō p̄pter iustos, sed p̄pter pec-  
catores, & publicani & meretrices p̄ce-  
dūt iusticiarios pharisæos ī regnū celo-  
rū. Quid hic oggāniet os iniquū q̄ non  
alia docemus? Deo p̄ Mosē dicit: Quis-  
quis prophetā illū, id est, Christū nō au-  
dierit, ego ultor existā, Audiant hoc cō-  
tra se dei iudiciū Euangeliū hostes. Et  
pater clamat super Christū, Hunc audi-  
te, Et Christus, Oues inquit meæ uocē  
meam non alienorum audient.

Hæc ad uos breuibus scripsi fratres,  
ut gaudium meum de uobis testarer uo-  
bis, & simul rationē redderē de ea quæ


in nobis est spe, contra illos qui omnia  
nostra, impudentibus mendacijs apud  
ignorantes, peruertunt. Vos autē ora-  
te deū pro nobis & pro oībus sanctis  
& pro aduersarijs nostris, ut uerbū dei  
crescat & inuulgetur mundo in gloriā  
ipsius & hominum salutem per Iesum  
Christum dominū nostrū, cui gloria &  
imperium in omnia secula seculorum.  
Amen.

AB 67  $\frac{10}{C, 10}$

(X 2040274)

456.





# EPISTOLA

IOANNIS BVGEN. POME  
RANI AD ANGLOS.

ANNO M. D. XXV.

